

NUMMI MISSILES

FERDINANDO AUSTRIACO,

CAROLI V. FRATRE, REGE ROMANORUM

consecrato Aquisgrani : Anno

Christi 1531.



T de Rege Romanorum creando cogitaret Carolus V. Imp. causæ hæc potissimum fuerunt, propositæ in primo Principum Electorum congressu, Colonia celebrato: quia diversis ipse regnis, atque populis imperaret, neque posset continenter esse in Germania; quia turbulentus admodum esset & periculosus orbis christiani, præcipuè verò Germaniæ status, propter dissidium religionis: propter vim atque potentiam Turcarum: propter nuper excitatam seditionem atque bellum rusticanum: & quia multa per imperium in officiosè fierent, ac minus obsequenter. Videri sibi itaque prorsus necessarium, atque ex usu Reipublicæ, ut secundum se creetur aliquis Romanorum Rex: velut alterum imperij caput, per suam absentiam: qui sit & ingenio præditus, & vigilans, & industrius, & potens, & amans pacis, atque concordiæ, & rerum imperij non imperitus, & omnino talis, cui fidere, & in quo ipse totus possit acquiescere. Qui sit autem magis ad eam provinciam idoneus fratre suo, Ferdinando Bohemiæ Ungariæque Rege, nullum se novisse alium: hujus etiam fines atque regna jam esse veluti murum aliquem, pro salute totius Germaniæ, oppositum immanitati Turcicæ. Principes Electores à deliberatione Cæsarem orant, ne Germaniam deferat, sed in ea sibi domicilium atque sedem collocet. Cum autem Cæsar in sententia persisteret, collatis consiliis, quintâ Januarij die, Ferdinandum renunciant Romanorum regem. Saxo, quod unum poterat, creationem hanc esse vitiosam, explicatis causis, neque sibi probari per filium disertè protestatur. Obtinuit nihilominus Imperator, quod voluit: Colonia profecti Principes sunt Aquis granum: Ferdinandus ibidem inauguratus regno, 11. Januarij: nummi in vulgus sparsi, qui rubricæ huic subiiciuntur. *Sleidanus*

Author.